

XIV. c. 3. De Sacram. extr. unctionis. c) Primi diaconi non fuerunt certe ordinati traditione libri evangelii quod nondum scriptum erat. d) In Scripturis solius impositionis manuum occurrit mentio: ibique tamen de ordinatione sermonem esse certum est apud omnes. Iam vero 1° si impositio manuum non est essentialis modo, alterutrum dicendum est vel nunquam fuisse essentialem, vel auctoritate Ecclesiae fuisse deinceps in aliam mutatam. Atqui primum est evidenter falsum ex dictis: alterum nescimus quomodo possit defendi. Nam etsi demus Christum non determinasse ἐν ἄτομῳ materiam et formam huius Sacramenti sed permisisse determinandam Ecclesiae; tamen duo sunt advertenda: α) non perinde esse Christum hanc potestatem fecisse Ecclesiae, atque potestatem fecisse ut possit ipsa rursus quod ipsa instituerat mutare: nam probabile est certe, in hypothesi quod Christus hanc potestatem Apostolis fecerit, quod Christus ita potestatem fecerit Apostolis determinandi ἐν ἄτομῳ materias et formas ut voluntate sua consequente decretum Apostolicum sanxerit Deus illud esse perpetuum ne in re tanti momenti mutationibus esset locus. Christum ergo non ita se gessisse quomodo demonstratur? neque enim comparatio valet instituta a Morino cum Sacramento matrimonii, in quo Ecclesia nunquam mutavit materiam aut formam, sed solum condiciones requisitas ut eae sint: si vero non demonstretur, firmum maneat oportet impositionem manuum ab Apostolis adhibitam esse adhuc essentialem.

β) Advertendum est quod si Ecclesia potens mutare essentialem materiam Sacramenti id exsequi velit, oportet ut decreto aliquo sollemni omnibus perspicuo notam faciat hanc suam voluntatem; res enim agitur in Ecclesia maxime necessaria a qua ipsa successio Apostolica dependet: atqui certe huiusmodi decretum non adest (de Decreto Eugenii loquemur mox singillatim), sed sensim sine sensu accesserunt hi ritus impositioni manuum, perseverante semper eadem manuum impositione, quemadmodum accessit in ordinatione presbyteri unctio manuum, quae sec. IX in quibusdam ecclesiis latinis adhibebatur, eam tamen adhuc ignorante Ecclesia romana, ut liquet ex epist. Nicolai I ad Rodolphum episcopum bituricensem (Cf. Morino Ex. VI. c. 2). Exstant e contrario canones veteres ab Ecclesia latina recepti et in Sacramentariis suis confirmati frequenter et nunquam diserte revocati significantes impositione manuum ordinari presbyteros et diaconos, non traditione instrumentorum. Ergo decretum illud significans voluntatem Ecclesiae mutandi formam et materiam ordinationis non habetur. Igitur probari nequit auctoritate Ecclesiae fuisse deinceps mutatam essentialem formam et materiam ordinationis. Nullo vero in pretio habenda est opinio dicentium in traditione

instrumentorum haberi impositionem manuum, cui praeter sensum communem contradicunt canones carthaginenses. Itaque impositio manuum semper fuit et est essentialis.

2° Ex dictis quoque consequitur quod altero loco dicebamus, probabile admodum esse quod traditio instrumentorum non sit ordinationi essentialis. Nam non fuit certe essentialis olim; si vero esset modo, mutatio quaedam eademque essentialis in ipsa materia inducta esset ab Ecclesia, cum nunc esset essentialis id quod prius essentialis non erat; non fuisse autem inductam videtur nobis probari eodem argumento quo priorem mutationem negabamus. Nec praesens praxis Ecclesiae id evincit: in more enim fuit Ecclesiae ritui essentiali sacramentorum plures progressu temporis caeremonias addere, quibus et augustior fieret celebratio sacramenti, et expressior significatio eiusdem effectus, sicut videre est e. g. in baptismo. Neque dicas eo quod Episcopus tradens instrumenta dicit in ordinatione presbyteri: *accipe potestatem offerre sacrificium Deo* etc. significari quod eo ritu fiat sacramentum: nam simile quid habes in Sacramento Matrimonii, in quo Sacerdos dicit: *ego vos coniungo* etc. quin tamen eis verbis coniunctio sacramentalis fiat. Cf. Magistrum in IV^a D. XXIV et Hugonem a S. Victore De Sacramentis L. II. p. 3. c. 12. docentes ea verba proferri ab Episcopo ut presbyteri agnoscant *se accepisse* potestatem offerendi. Cur ergo in Pontificali romano et diaconi antequam eis tradatur Evangelium et presbyteri antequam eis tradatur calix cum patena etc. licet iam impositionem manuum acceperint dicuntur adhuc *ordinandi*, postea vero dicuntur *ordinati*? Scilicet distinguendum est inter essentialitatem ordinationis et integritatem eius. Ad integritatem omnes ritus praescripti spectant, et idcirco ordinatio integra tunc est completa cum omnes peracti sunt: quocirca si definire Ecclesia nolit quid sit tantum de essentialitate, sive si ab hac consideratione praescindat, integritatem solum ritus, quam non sine causa praescribit, prae oculis habeat necesse est, et sic dicat ordinationem completam, seu aliquos ordinatos cum integer ritus perfectus est. Quod vero Innocentius III, c. *Pastoralis*, et Gregorius IX, c. *Presbyter, de Sacramentis non iterandis* decernunt, si ommissa est impositio manuum, non esse iterandam ordinationem (utique integram) sed supplendum quod omissum est, cum nostra quoque sententia optime cohaeret.

Cum in ordinatione presbyteri secundum Pontificale romanum triplex habeatur impositio manuum, prima solius Episcopi nihil interea dicentis, altera Episcopi simul cum assistentibus presbyteris, episcopo fundente benedictionem, h. e. verba pronuntiante, tertia in fine missae post communionem, satis liquet primam non esse mate-

riam essentialem, quia nulla forma eam comitatur: tertia quoque non videtur essentialis quia nec in Ecclesia graeca usurpata, et in ipsa latina Ecclesia recentior est tribus seculis traditione instrumentorum; et cum iam sint ordinati presbyteri, hoc ipso iam habent potestatem ordinis remittendi peccata quae presbyteris competit: sensum vero Tridentini canonis 4ⁱ Sess. XXIII iam supra explicavimus. Restat ergo ut secunda impositio manuum cum prece Episcopi sit materia et forma essentialis ordinationis presbyteri.

Quod spectat ad ordinationem Episcopi quaestio esse potest an impositio Evangelii super caput eius sit materia essentialis. Ea certe antiqua est, ac praescribitur in Constitutionibus Apostolicis, et canonicis Carthaginiensibus, id tamen per se non sufficit ut materia essentialis dicatur; nam potuit esse caeremonia quaedam ab Ecclesia instituta quae cum antiquitus instituta fuerit evasit communis: nec videntur primi episcopi hoc ritu ordinati. Unctio quoque in Ordinatione Episcopi antiqua est in Ecclesia Romana, cuius mentionem facit Gregorius M. in 1^a Regum c. 5 (cf. et eius Sacramentarium ex pervetusto rituali inter eius opera editionis Gallicciolli Tom. X) eamque indicare videtur S. Leo Serm. VIII, de Passione Domini n. 7^o. Ea tamen antiquitus in Africa non videtur adhibita, cum canones carthaginienses eam non praescribant; atque serius videtur recepta in Hispania, quoniam Isidorus L. II. de officiis, ubi plura de caeremoniis ordinationum, ne verbum quidem facit de unctione, licet de unctione veterum sacerdotum copiose disserat. Nec eam exhibet PseudoAlcuinus in libro de divinis officiis.

In ordinatione aliorum ordinum antiquissima est consuetudo Ecclesiae latinae non imponendi manus, sed tradendi instrumenta: ita canon 5 carthaginiensis: « Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de episcopi manu accipiat vacuum et calicem vacuum. De manu vero archidiaconi urceolum cum aqua et mantile, et manutergium » et sic in sequentibus diversa instrumenta. Ecclesia graeca manus impositione ordinat subdiaconos et lectores, solet tamen et ipsa tradere instrumenta; dantur autem peracta ordinatione, ut per ea probetur ordinatus, nullis adhibitis verborum formulis; at in latina Ecclesia dantur conceptis verbis instrumenta ut ordinandi ordinentur. (Cf. Morino op. cit. P. III. Ex. XI, c. 7.).

IV. Adversus statuta primo loco opponitur doctrina Eugenii IV in decreto quod tulit sacro approbante florentino Concilio pro Armenis, ut sub quodam brevi compendio orthodoxae traderet fidei veritatem circa divinae essentiae unitatem et personarum Trinitatem, ac Christi humanitatem et septem Ecclesiae sacramenta et alia ad fidem orthodoxam et ritus universalis Ecclesiae pertinentia; sic enim

ipse Eugenius loquitur. Iam vero de sacramentis agens ait « Sextum Sacramentum est ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem. Forma sacerdotalis est: accipite potestatem offerendi sacrificium etc. »

Respondemus 1^o hanc difficultatem expediendam esse ab iis quoque qui utramque et impositionem manuum et traditionem instrumentorum materiam essentialem censent, ut facit proinde Bellarminus l. c.: verba enim Eugenii si eo spectant ut doceant quid de fide tenendum sit circa materias et formas sacramentorum, sunt exclusive accipienda. Respondemus 2^o licet videatur heic Eugenius doctrinam tradere in materia fidei, tamen fieri potest quod in hac parte decreti in qua agit de sacramentis velit quoad aliqua tradere Armenis ea quae ad ritus spectant Sacramentorum a Romana Ecclesia probatos et in universa latina Ecclesia usurpatos; nam a) praeter materiam fidei et de ritibus se locuturum dixit ab initio: b) ut verbis cl. Perrone utamur (De Ordine n. 126) « nisi velimus in absurda incidere, admitti debet responsio Bellarmini aliorumque qui dicunt, scopum Summi Pontificis fuisse inducendi Armenos ad uniformitatem cum Ecclesia Romana in collatione Ordinum, ideoque hanc solam recensuisse quam Armeni non adhibebant. » Quae quidem responsio supponit Eugenium mentem suam declarasse oratoribus Armenorum, quibuscum negotium unionis acium est, ut intelligerent quo spectaret ea ultima pars decreti desumpta ad verbum ex opusculo 3^o S. Thomae de Sacramentis. c) Porro quod intrinseco argumento probabile saltem est, fit extrinseco argumento certum; nam quatenam sit et quatenam non sit intentio Principis in ferendo decreto recte a posteriori colligitur a sequenti consensu probato illi quoque auctoritati a qua decretum profectum est (1). Atqui ex hoc consensu liquet intentionem Eugenii non eam fuisse ut doctrinam fidei proponeret circa materiam et formam essentialem Sacramenti Ordinis. Nam si ita est, oportuit integram materiam tradere; falso enim de parte materiae praedicatur quod sit materia; quare dicendum esset impositionem manuum non esse materiam e sententia Eugenii, eam enim omisit Eugenius; ideoque falsum esset per impositionem manuum fieri Sacerdotes. Nihilominus non hic tantum vel ille theologus, sed universa tridentina Synodus probata a Romana Sede post decretum Eugenii adhuc ordinationis ritum ita exprimebat inquit l. c. « Sacerdotes ab Episcopis rite ordinatos per impositionem manuum presbyterii. » Ergo non ita ac-

(1) Nota aliud esse ex Ecclesiae sensu explicare decretum Romanae Sedis, aliud ex Ecclesiae consensu derivare valorem decretis eiusdem Sedis.

cepta est doctrina Eugenii ut eo in decreto proponeretur quid circa materiam et formam ordinationis sit credendum.

V. Quaeritur de ministro ordinationis. Omnia sacramentaria et euchologia Ecclesiae latinae et graecae, canones omnes initio ducto ab Apostolicis usque ad Tridentinos, Patres Hieronymus, Epiphanius, Chrysostomus iam citati, quibus ceteri consentiunt, ministrum *χειροτονίας* qua in ordinem hierarchicum fideles adsciscuntur, sive ordinationis episcoporum, presbyterorum, diaconorum solum episcopum exhibent; et licet quidam veteres scholastici censuerint ex delegatione Pontificis posse presbyterum esse ministrum extraordinarium ordinationis diaconi et presbyteri, haec opinio (ut ait cl. Perrone l. c. n. 134), obsoleta est, et sane gratis asserta est praeter omne principium proprium theologiae. Privilegium vero quod dicitur ab Innocentio IV. concessum abbati cisterciensi conferendi diaconatum vel a plerisque ut falsum prorsus reiicitur, vel depravatum censetur. Inferiores vero ordines comprehenso subdiaconatu posse ex delegatione Pontificis presbyterum conferre convenit inter Theologos, tum propter concessionem factam olim chorepiscopis, qui simplices presbyteri erant, tum propter concessionem eandem factam recenti quoque aetate a Romana Sede presbyteris. Cf. Benedictum XIV De Synodo L. II. c. 11°.

Quaeritur vero an episcopus haereticus ab Ecclesia praecisus et damnatus valide ordinet. « Hanc quaestionem (ait Petrus Lombardus in IV. D. XXV. n. 1.) perplexam ac pene insolubilem faciunt doctorum verba qui plurimum dissentire videntur. » Verum heic perplexio nulla reapse est. Sententiae enim quas Magister affert veterum Patrum illicitam solum docent eam ordinationem, negantque potestatem executionis, honorem gradus, et iurisdictionem per eam conferri. Doctrina Ecclesiae allata in Th. XI. satis aperta est. Quod de praecisis ab Ecclesia universim dictum est, idem et in specialiter degradatis valet: est enim eadem ratio quia nempe character ordinatione imprimitur, qui iuxta Ecclesiae doctrinam indelebilis est.

VI. Quoad caelibatum clericorum lege egregium opus F. Antonii Zaccaria *Storia polemica del celibato sacro*. In summa haec tene: 1° Caelibatus clericorum non est de iure divino primario: 2° est tamen de iure divino secundario, maxime scilicet conveniens: 3° potestas vero illum praecipiendi ac nuptias irritandi eorum qui illo obligentur est de iure divino primario. 4° In Ecclesia latina semper iure servatus est, nec ullum exemplum afferri potest quo impune episcopus, presbyter, diaconus aut nuptias contraxerint aut nuptiis antea initis usi fuerint. Quod quidem apostolica Patrum constitutione constitutum esse docet Siricius ep. V. ad Africanos. Licet vero

quarto seculo nondum in omni Ecclesia latina subdiaconi ad continentiam obligarentur, id tamen servatum iam esse in Ecclesia Romana liquet ex Leonis epist. XIV. ad Anastas. Thessal. Romae enim altari subdiaconi ministrabant; quod cum factum deinceps esset commune ubique sub Pelagio II et Gregorio M., facta est lex continentiae universalis pro subdiaconis. 5° In Ecclesia quoque graeca haec consuetudo seculo 4° viguit; cuius rei testes sunt Hieronymus et Epiphanius. Ille adversus Vigilantium c. 1. inquit: « quid facient Orientis Ecclesiae, quid Aegypti et Sedis Apostolicae (habes omnes tres Patriarchatus), quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerint mariti esse desistunt? » Iste haeresi LIX, n. 4. aiens contra Novatianos « Quin eum insuper qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi (nota: etiam *subdiaconi*) ordinem admittit. » Idem tradit in Expositione Fidei n. 21. Identidem tamen in Ecclesia graeca praeter hanc consuetudinem a presbyteris et diaconis et subdiaconis agebatur, cuius rei declarationem habes ab Epiphanio qui loco citato subdit: « Quod in illis locis praecipue fit ubi ecclesiastici canones (lex ergo aderat) accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt; respondeo non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam quae certis temporibus negligenter agere ac connivere solet ob nimiam populi multitudinem, cum scilicet qui ad eas se functiones applicent non facile reperiuntur. » Ab ea sanctitate magis usque deficiens Ecclesia graeca edidit tandem sec. VII. canones trullanos.

§. XVI.

Sic notitia tradita eorum qui in Ecclesia iure divino potestatem obtinent sacrorum, quique eodem iure intrinsece discernuntur a laicis, disserendum nunc est de potestate iurisdictionis ad quam iure divino idonei sunt qui ad ordines hierarchicos spectant. De iis autem disputabimus, quae ad eius originem, subiectum, naturam et efficaciam manifestandam conducunt.

Origo huius potestatis proprio et speciali sensu est divina.

I. In 1° articulo gallicani conventus an. 1682 independentia potestatis civilis a potestate sacra eo argumento stabiliebatur quod iuxta Apostolum sit potestas illa a Deo, nempe, ut adsignificatur, sit potestas immediate a Deo. Quo quidem argumento probare quoque imo meliore iure potuissent potestatem paternam in filios, viri in uxorem, proprietarii in res suas etc. esse independentem a quavis alia